

nationes intermediæ. Hinc in antiquis S. Sedis Bullis confirmationis Subdiaconorum in Episcopos hæc expressio habebatur 'postquam ad s. Diaconatus et Presbyteratus ordines promoveri te feceris' Hæc clausula etiam in actuali disciplina apponitur, quando S. Sedes aliquem Subdiaconum ad Episcopatum promovet.

15. Quoad Prælaturas inferiores, idest quoad Abbantias *can. 5. dist. 93.* in quo refertur decisio s. *Silvestri* in Synodo Romana abbatem nominat post omnes Ecclesiæ ordines. Ex quo deduci potest nullo ordine fuisse insignitos Abbates. Licet hic canon ab aliis diversimode referatur, tamen dici potest illum exhibere primitivam disciplinam monachorum, qua nec monachi nec Abbas clerici erant. Verum post legem Concilii *Pictaviensis* in *c. 1. h. t.* relatum Abbas debet esse Presbyter. Quod etiam probatur ex potestate quam habet conferendi ordines minores. Nam in *c. 11. h. t.* Innoc. III. cognoscit hanc potestatem in Abbate, dummodo fuerit Sacerdos et ab Episcopo benedictus. Quod si vero sermo sit de Abbatibus mere titularibus, quibus cura animarum adnexa non est, nec habent forum penitentiale aut jurisdictionale, sed reducuntur ad vacuam dignitatem, idest personatum tenendum est, hasce Abbantias esse sub dispositione generali dignitatum in *cap. 12. sess. 24. de Ref. Conc. Trid.* vi cujus sufficit ætas 22 annor. completorum, ac proinde ordinem presbyteratus non requirere.

16. Archidiaconatus jure communi in *c. 1. h. t.* exposito adnexum habet ordinem Diaconatus, sed ubi primum locum obtinet post pontificalem dignitatem, solet conferri cum clausula ut promotus infra annum ordinem presbyteratus suscipiat.

17. Decani, Præpositi et Archipresbyteri ex *c. 1. h. t.*, quia censebantur adnexam habere curam animarum, tenebantur ad ordinem sacerdotalem suscipiendum. Verum ubi curam animarum adnexam non habeant, nec ex dispositione aliqua adnexum habeant ordinem sacrum, videntur comprehendi in lege Tridentina *cap. 12. sess. 24.* quæ statuit, ad dignitates recipiendas sufficere annum ætatis 22. quæ ætas excludit necessitatem ordinis sacerdotii. Quod et fuisse a s. *Congr. Conc.* probatum refert *Fagnanus com. in c. 1. h. t. n. 5.* Ordo vero Subdiaconatus requiritur saltem, ut habeant vocem in Capitulo ex *Clem. 2. h. t.* et ex *Conc. Tridentino sess. 22. c. 4. de Ref.* Qui ad curam animarum assumebantur ex *c. 8. de Præb. in 6º.* videntur fuisse antiquitus, qui in

s. Ordinibus idest saltem in subdiaconatu erant constituti. Quod clarius deducitur ex *c. 5. h. t.* in quo constituti in moribus ordinibus dicuntur assumptos fuisse ad regendas parochiales ecclesias solummodo dispensative. Verum ex dispositione *Tridentini c. 12. sess. 24. de Ref.* sufficit ut quis sit in clericali ordine constitutus et saltem annum 25. ætatis suæ attigerit, et habilis sit juxta *c. 14. et 35. De Elect. in 6.* ut infra annum ad Presbyteratum promoveatur. Hinc teste *Fagnano com. in c. 5. h. t. n. 8.* in praxi parochiales ecclesiæ conferuntur etiam clerico qui fuerit in prima tonsura solummodo initiatus, dummodo tamen habilis sit, ut infra annum, dispensatis interstitiis, promoveatur ad Sacerdotium.

18. Tandem de ordine requisito in canonicatibus et beneficiis sive ecclesiæ cathedralis sive ecclesiæ collegiatæ, ea repetenda sunt quæ superius juxta *Clem. 2. h. t.* et *cap. 12. sess. 24. de Ref. in C. Trid.* exposuimus quando egimus de ætate requisita iisdem canonicatibus vel beneficiis. Et hæc satis sint de ordine præficiendorum.

19. De *qualitate* præficiendorum nonnulla sunt enucleanda. Relegendum est principium traditum in *c. 22. de Elect.*, electionem nempe indigni ipso jure esse irritam, quamvis requiratur judicis sententia declarans indignitatem revera in persona electa verificari. Quæ dispositio fulcitur *cap. 29. de Præb.* et *cap. 2. sess. 7. de Ref. in Tridentino.* Ut quis ad beneficium vel ad ministerium ecclesiasticum promoveatur, requiruntur qualitates scientiæ competentis et morum honestas, de quibus sermo est in *c. 7. de Elect.* et *cap. 2. sess. 22. de Ref.* necnon *capp. 1. et 12. sess. 24. de Ref. in Tridentino;* immunitas a censuris, et irregularitatibus, necnon juxta *c. 16. de accusation.* etiam ab infamia; quæque communes sunt generatim omnibus beneficiis.

20. In specie quoad *scientiam* hæc præ oculis habenda sunt. Et primo quidem in *cit. sess. 22. c. 2.* de promovendo ad *Episcopatum* decernitur: 'Antea in Universitate Studiorum magister sive doctor aut licentiatus in sacra theologia vel jure canonico merito sit promotus, aut publico alicujus Accademiæ testimonio idoneus ad alios docendos ostendatur. Quod si regularis fuerit, a superioribus suæ religionis similem fidem habeat'. De *Archidiaconis* agit *Tridentinum in sess. 24. cap. 12. de Ref.* statuens: 'Archidiaconi sint in omnibus Ecclesiis, ubi fieri potest, magistri in theologia, seu doctores aut licentiati in jure canonico'. De *Præ-*

benda theologali: *Tridentinum in sess. 5. c. 1.* decernit, eam esse conferendam personæ idoneæ, quæ per seipsam munus explere possit, ita ut aliter facta provisio nulla sit et invalida. Benedictus XIII. vero in *Const. 'Pastoralis' diei 14. Kal. Junii 1725.* pro Italia et insulis adjacentibus statuit, eandem præbendam conferendam esse doctori in s. theologia, vel ei qui infra annum doctoralem lauream in eadem facultate suscipiat. Quoad *Canonicum Pœnitentiarium Tridentinum in sess. 24. c. 8. de Ref.* decernit ut ille instituatur, qui, 'magister sit vel Doctor aut licentiatus in theologia aut jure canonico et annorum 40 seu alius qui aptior pro loci qualitate reperiat'. — Tandem quoad scientiam præ oculis habenda sunt quæ *Tridentinum* tradit in *sess. 24. c. 12.* circa medietatem de Ref. scilicet 'Hortatur . . . ut ubi commode fieri potest, dignitates omnes et saltem dimidia pars canonicatum in Cathedralibus Ecclesiis et collegiatis insignibus conferantur tantum magistris vel doctoribus aut etiam licentiatis in theologia vel jure canonico'. Hæc dicta sint de qualitatibus generalibus.

21. Præter generales requiruntur etiam qualitates peculiæ, quæ cuique beneficio in specie adnexæ sunt, quæque ex dispositione *Tridentini c. 5. sess. 25. de Ref.* servanda præcipiuntur. Hæ qualitates possunt esse adnexæ ex lege foundationis beneficii, vel ex Capituli constitutionibus. Quæ peculiæ qualitates 1<sup>o</sup>. poterunt respicere ordinem peculiarem. Hinc indignus reputabitur ad beneficium obtinendum qui eo ordine caret. Possent 2<sup>o</sup>. scientiam respicere, ita ut reputetur indignus qui aliquo peculiari gradu academico non sit decoratus, vel Universitatis studiorum commendabili testimonio careat. 3<sup>o</sup>. Possunt qualitates respicere genus aut locum nativitatis personæ. Possunt enim consequi jus prælationis in aliquod beneficium cives alicujus pagi, aut determinatæ familiæ vel cœtus. Hæ qualitates secumferunt jus prælationis illorum, qui eisdem præditi sunt. Porro hæ qualitates in beneficiis non præsumuntur, sed probari debent. Agitur enim de re facti et odiosa; nam hæ qualitates limitant potestatem Ordinarii in collatione beneficiorum.

22. *Questio* nunc facienda est de comparatione digni ad digniorem. Utrum nempe juxta leges canonicas sustineatur electio digni simpliciter, spreto digniore, an electores, et qui promovent ad ecclesiasticas dignitates, teneantur eligere digniorem. Præmittendum est, in hac comparatione non inspiciendam esse unam

aliamve qualitatem singillatim, ex gr. scientiam et peritiam literarum solummodo, aut dignitatem personalem, sed omnes simul qualitates esse considerandas, quæ muniis beneficii rite obeundis respondent. *Tridentinum in c. 18. sess. 24. de Ref. § Peracto.* Hisce positis certum est antiquum jus relatam in *can. 19. dist. 63.* et *can. 45. c. 1. q. 1.* et in *can. 15. c. 8. q. 1.* exigere ut optimus, præstantior, et sanctior et doctior assumatur. Quibus accedit *c. un.* Ut ecclesiast. benef. in quo persona magis idonea præscribitur eligenda. Nec minus clare loquitur *Trid. in c. 1. sess. 24. de Ref.* ubi expresse docet, omnes et singulos qui ad promotionem præficiendorum quodcumque jus habent, 'alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, nisi quos digniores, et Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint . . . præfici diligenter curaverint'. Quæ porro verba adeo generalia sunt ut non solum promovendis ad Episcopatum vel cardinalitiam dignitatem, de quibus præcipue sermo est in eo capite, sed etiam applicari debeant aliis, et iis præsertim, qui assumuntur ad beneficium curam animarum adnexam habens. Ergo stat firma obligatio eligendi digniorem præ digno simpliciter. Hæc autem obligatio eligendi digniorem præ digno sub pœna culpæ lethalis vere et proprie locum habet in beneficiis quæ vel culmina dignitatum constituunt, vel ad regimen animarum, quod ars artium dicitur in *c. 14. h. t.* referuntur.

23. Sed valetne electio personæ simpliciter dignæ neglecta digniore? In genere dicendum est, valere electionem hanc; nam canones reprobant ac irritam habent solummodo electionem indigni *c. 22. de Elect.* —

24. Quid vero, si per concursum deferri debeat beneficium? Quando hoc medium eligitur ad beneficium conferendum, cum qualitatibus experimentum fiat, censetur semper illi jus esse ad beneficium assequendum, qui aliis merito et qualitatibus præeminet. In jure tamen aliquid speciale est determinatum de electione per concursum ad parochialem ecclesiam. Etenim *Conc. Trid. in c. 18. sess. 24. de Ref.* cum voluerit eligi digniorem, in præelectione dignioris defert judicium Episcopo; qui ex approbatis ab examinatore synodalibus eligit, quem cæteris magis idoneum judicaverit. Circa quam dispositionem hæc animadvertenda sunt: 1<sup>o</sup>. non pertinere ad examinatores judicare quinam magis sit dignus et idoneus, sed ad Episcopum, vel sede vacante ad Vicarium ipsum Capitularem. Ita resolvit *S. Congr. Conc. in responsione data*

*Episcopo Patavien. an. 1573. et in causa Elvensi 1. Dec. an. 1736.* In hac causa s. Congr. censuit, non posse Capitulum limitare jurisdictionem Vicarii Capitularis. 2º. Ita defertur Episcopo ut licet admitti possit appellatio ad tribunal superius contra iudicium examinerum, tamen, posita idoneitate electi cognita per examinatores, visum fuerit non posse appellari a iudicio Episcopi, ceu refert *Fagnanus* com. in c. 14. h. t. n. 53. At aliter tenendum et aliter resolvisse s. Congregationem Conc. refert *Fagnanus cit. loco* ob dispositionem *Const. s. Pii V.* quæ incipit '*In conferendis*' edita XV. Kal. April. 1567. In hac *Const. s. Pontifex* statuit ut si Episcopus minus habilem elegerit, posthabitis magis idoneis, possint magis idonei appellare ad Metropolitanum, vel si eligens est Metropolitanus vel exemptus ad Episcopum viciniorem ceu Sedis Apostolicæ delegatum, vel alias ad ipsam S. Sedem, et provocare novum examen. Hæc vero appellatio facienda est intra decem dies a collatione beneficii parochialis. Inde facta non valet. Insuper ea servatur in devolutivo et non in suspensivo; idest non impedit quominus electus ab Episcopo pendente iudicio appellationis quoadusque non fuerit rejectus possit pareciam administrare. Ita in *Const. 'Cum illud' Bened. XIV. diei 14. Dec. 1742.* In qua insuper decernitur ut examen in scripto fiat, et in gradu appellationis novum non conficiatur examen, sed ad tribunal appellationis transmittantur acta prioris examinis. Quare ex dictis in collatione præbendæ per concursum conceditur appellatio tum a iudicio examinerum, tum a mala prælatione Episcopi.

## TITULUS XV.

## De sacra unctione.

1. Quoniam in ordinatione ad Sacerdotium, et ad Episcopatum, sacra unctione utatur Ecclesia, hinc post titulos præcedentes, in quibus de sacris ministris assumendis sermo est, exhibetur titulus præsens. *Innoc. III. in decretali epistola* missa forsitan Archiepiscopo Irinonitano Primati totius Bulgariae, non autem Braharensi in Lusitania, prout legitur in Codice communi, quæ a *B. Raymundo* refertur in c. un. h. t. tradit in Episcopis supplendam esse sacram unctionem in capite et in manibus, si in eorundem consecratione hæc duplex unctio omisa fuerit ex consuetudine Ecclesiæ orientalis. Rationem affert, quia hæc unctio de præcepto

divino est, et a catholica Ecclesia ex Apostolorum exemplo servatur. Contra Innocentium maximi ponderis difficultas oritur ex græca liturgia; græca enim Ecclesia ab antiquis etiam temporibus usa non est unctione in consecrandis Episcopis, qui nihilominus semper habiti sunt ceu veri Episcopi. Ut purgetur Innocentius animadvertendum 1º. est, ipsum non dixisse sacram unctionem esse materiam essentialem Consecrationis episcopalis; agnoscit enim Episcopum fuisse consecratum, et solummodo supplendam esse dicit sacram unctionem. Si invalidam reputavisset ordinationem, ex integro ritum renovari jussisset. 2º. Animadvertimus Innocentium secutum fuisse *can. 1. dist. 75. in Decr.*, qui canon tribuitur Anacleto R. P. qui unus ex primis Pontificibus fuit post Petrum. Jamvero hac in re fatemur Innocentium in errorem hystoricum lapsus fuisse. Nam decretum quod nomine Anacleti citat, et desumptum est ex 2ª. epistola eidem Pontifici tributa, spurium est ac supposititium. Illa enim epistola cum aliis duabus quæ Anacleto adscribuntur, inter *merces Isidorianas* rejicienda est, ceu docet *Labbeus* in nota marginali ad primam harum epistolarum. Isidorus namque mercator vel peccator plures canones apocryphos in sua collectione refert, quos appingit uni vel alteri Pontifici; cum eisdem nullo modo tribui possint, et ex unitate styli et verborum usu unum communem insinuant auctorem; quem fuisse ipsum Isidorum eruditi homines arbitrantur. Verum licet fatendum sit Innocentium errore historico fuisse deceptum cum tribuit Anacleto decretalem in *can. 1. dist. 75.* relatam, tamen negandum non est, in Ecclesia Latina reapse antiquissimum esse ritum sacre unctionis in consecratione Episcoporum, ceu refert auctor opusculi *De Operibus Cardinalib. Christi*, quod *S. Cypriano* inscribitur, et inter alios probat *Morinus part. 3. exercit. 6. c. 2.* At nisi rite intelligentur alia verba, quæ præceptum divinum respiciunt, erroris suspicionem in materia doctrinali possunt ingerere. At hæc explicantur, si animadvertatur tum fictum Anacletum, tum Innocentium sese referre ad Vetus Testamentum, scilicet ad præceptum Domini in c. 28. Exod. expressum, quo statuebatur ut summi Sacerdotes sacra unctione in capite et in manibus linirentur. Ex quo intelligitur sub eo tantummodo sensu Innocentium divino præcepto episcopalem unctionem adscripsisse, quia nempe sacra sacerdotalis unctio fuit divina auctoritate penes Hebræos instituta. Quo sub sensu Alexander III. in c. 14. de Decim. docet